



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Caput II. Communes simoniae divisiones adducuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

„ fator secundum illud : *Sic nos existimet homo*
 „ *ut ministros Christi, & dispensatores My-*
 „ *riorum Dei (1. Cor. 4.).* 3. Quia venditio
 „ repugnat spiritualium origini, quæ ex gratia
 „ voluntate Dei proveniunt : unde & Dominus
 dicit : *Gratis accepistis, gratis date (Matth.*
 10.). Ex hac angelici Præceptoris doctrina
 aperte sequitur, Simoniam non unam sed tripli-
 cem videlicet sacrilegii, irreligiositatis, ac impi-
 stitiæ deordinationem involvere ; quam numquam
 materiæ levitas, sed sola inculcata inadverten-
 tia, aut ignorantia minuit. Hinc qui pro re
 spirituali vel leviusculum munus confert, aut
 accipit æque grave vel gravius peccatum committit ;
 quia rem inæstimabilem vili adeo pretio
 appendit (a).

CAPUT II.

Communes Simonie divisiones adducuntur.

Simoniam in eam quæ juri divino, & eam quæ
 juri humano est inimica, dividitur. Prior
 rei spiritualis sive expressa, sive tacita, pro
 supra exposuimus, venditione vel emptione
 committitur, estque intrinsece ac graviter mala,
 seu (ut scholæ loquuntur) prohibita quia male
 posterior in arbitraria Beneficiorum permutatio-
 ne

(a) Huc damnata ab Alexandro VII. propositio spe-
 rat : *Non est contra justitiam Beneficia non con-*
ferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia
ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam
pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento
temporali, quod tibi conferre non tenebatur, n. 22.

ne consistit, estque mala quia prohibita; hujusmodi autem permutationes non obtenta prius licentia fieri Ecclesia prohibuit; ut res sacrae, ab avaritiae mercatura immunes manerent; debitusque iisdem servaretur honos.

Huic primariae adhuc alia in mentalem, conventionalem & realem divisio accedit. *Simoniam mentalem* nihil aliud est, quam interna simoniaca intentio, quae ad actionem quamdam externam impellit, vel eandem comitatur. Ut si Canonicus primario propter distributiones choram adeat; propter stipendium celebret, quin prava ipsius voluntas foris appareat (a).

Conventionalis Simonia est pactum expressum vel tacitum circa rem spiritualem emendam aut vendendam, necdum tamen executioni mandatum. Pactum *expressum* fit, quando clavis, perspicuisque verbis quis paciscitur se illam pecuniam dare, ut illud exempli gratia Beneficium acquirat: *tacitum* est, quando quis signo aliquo votum alterius sibi comparat, aut ad dandum spirituale inducit, veluti si illi, dum Capitulum ingreditur marsupium ostendatur argento plenum, cujus obtinendi spe votum suum daret, ut alius Canonicatum consequeretur.

Realis

(a) Hinc per *Simoniam mentalem* non mere internum propositum, sed actum externum cum occulta simoniaca intentione positum intelligunt. Nihilominus sicuti internum propositum furandi ad speciem furti, ita & ejusmodi propositum ad *Simoniam* reducitur, ea tamen conditione, ut poenae canonicae in Simonicos latae, ad hanc mere internam simoniam minime sese extendant.

Realis simonia pactum est, utrinque executioni mandatum, sive dein pretium complete sive incomplete fuerit solutum. Quod si perfecta conventionione unius solum, puta vel rei spiritualis, vel temporalis facta traditio sit, usque dum mutua fiat, simonia ex conventionali, & reali *mixta* erit.

Præter hasce adhuc alia simoniaca lues ecclesiasticos inficit, magnasque in sancta Ecclesia ruinas causat. Eam *confidentialem* vocant, et describunt, quod sit pactum expressum vel tacitum, quo ille, cui procuratum, aut resignatum Beneficium fuit, obligatur, ut procuratori, vel resignanti certam pensionem præstet, aut Beneficium ipsum suo tempore resignanti, vel tertio cuidam iterum resignet. Malo hinc exemplum ingravescenti ut Romani Pontifices Pius IV. & Pius V. obviarent, solemnes Bullas ediderunt, quibus antiquæ sunt innovatæ penæ, ac plures superadditæ. Has quarto in capite producemus (a).

(a) Sanctus Pius V. in Bulla *Intolerabilis* simoniæ confidentiæ modos *pensione, accessu, ingressu & regressu* complectitur. *Pensio* est pars reddituum a resignatario resignanti solvenda. *Accessus* est jus adeundi beneficium interea alteri collatum quam primum in aliquo tertio, in cuius favorem intermedia facta est collatio, impedimentum actibus &c. cessat. *Ingressus* dicitur jus de novo adeundi Beneficium, ante captam possessionem alteri cessum, quam primum ille alter aliud Beneficium obtinuerit, aut morte raptus fuerit.

Simoniam juri divino adversam ab ecclesiastica distinguendi regula hæc esto. Quoties res *in se spiritualis* aut cum spirituali arte *connexa* pro temporali datur, simonia juri divino tam naturali quam positivo repugnans perpetratur. Qui vero rem spiritualem pro spirituali, vel temporalem pro temporali largitur, commutat &c. cujus largitionem, commutationem propter simoniacæ intentionis, & damni spiritualis periculum Ecclesia prohibuit, simoniam ecclesiasticam committit, sive dein mala intentio, aut damnum adsit sive non.

Simoniam itaque proprie talem, ac jure divino prohibitam committunt 1. *Parochi* qui pro Sacramentorum administratione taxam pecuniariam rigide quasi mercedem a rusticis, etiam pauperibus, extorquent, aut quod damnabilius est, debitoribus morosis, usquedum solverint, conferre salutis pignora renuunt &c. 2. Qui *Missas* propter stipendium celebrant, secluso hoc non celebraturi. Stipendium tamen secundo sustentationis causa intendere, culpa vacat (a).
3. *Cano-*

Regressus est jus de novo adeundi Beneficium aliquando actu possessum, alteri cessum, quamprimum cessionarius vel obierit, vel ad aliud Beneficium promotus fuerit. Omnes isti modi seclusa Episcopi licentia simoniaci audiunt.

(a) Duplex in celebratione Missæ, vel alio quocumque spirituali exercitio spectari labor potest, unus operi *intrinsecus*, & inseparabilis uti lectio, cæremonia, & pro hoc quidquam temporale intendere, aut accipere simoniacum foret: alius *extrinsecus*.

3. *Canonici* qui sua in choro presentia temporale lucrum magis quam Dei laudem, ac fidelium ædificationem intendunt. 4. Qui politionibus lacessiti suum votum vendunt; aut adulatione ut alteri Beneficium conferat, Principem vel Episcopum adducunt. 5. Qui pro Beneficio resignato alium favorem, puta sororis ad nuptiarum commendationem, aut reciprocam Beneficii resignationem in gratiam tertii aliquando faciendam exigunt. 6. *Patroni*, qui jus patronatus vendunt, aut fundum, cui hoc jus est adnexum, pluris æstimant. 7. *Religiosi*, qui pro susceptione ad sacrum ordinem, vel Professione, vel sustentationis aliquid exigunt, nisi forsan monasterio fundi deficerent, aut pro supernumerariis alendo non sufficerent. 8. *Mercatores & circumforanei*, qui cruces, rosaria &c. eoquod benedicta sint, majore, vel omnino summo in pretio vendunt.

Simonix ecclesiasticæ rei fiunt 1. Vendentes aliqua ecclesiastica munera, quæ temporaliter

cus, & separabilis ab opere, non tamen ab officio uti provisoria excursio ad ægrotum remotum in villa decumbentem, & pro hoc aliquid exigi absque simonia nequit: alius denique labor & operi & officio omnino extrinsecus & ab utroque separabilis, qualis foret si privatus Sacerdos, vel Parochus ex Beneficio non obligatus constitueretur ad celebrandam Missam in Ecclesia duabus leucis distante; & pro hoc citra simoniæ crimen juste quidquam exigitur. Ita D. Amort. *Tom. 1. Tr. 3. Sect. 2. §. 9. n. 25.*) citans pro se Tolentum, Catalanum, Valentiam, & alios.

tantum administrationem respiciunt, uti officium
 economi, Sacristæ, Procuratoris, Advocati Ec-
 clesiæ; cum rebus tamen Deo dicatis nexum
 habent (*can. Salvator. 1. quæst. 3.*). 2. Bene-
 ficium aliquod propria auctoritate, absque Papæ
 vel Episcopi interventu permutantes etiam in
 favorem tertii. 3. Beneficium cum pensionis
 reservatione sine superioris auctoritate resignan-
 tes. 4. Examinatores Diocesium pecuniam vel
 aliam rem temporalem, utut sponte oblatam,
 accipientes. 5. Pecuniam exigentes pro sepul-
 tura, ut habetur cap. *Abolendæ. de Sepulturis.*
 Verum ubi contraria adest consuetudo legitime
 cum Episcopi approbatione præscripta, ut pa-
 vimentum sarciatur Ecclesiæ in qua cadaver se-
 pelitur, nulla simonia committitur, si permessa
 pecuniæ summa exigatur (a).

C A P U T III.

*Beneficiis contentiosis sæpe Simonia se
 ingerit.*

Inordinata rem quamdam vel acquirendi vel
 retinendi cupido ea sæpe media arripit, quæ
 divina aut humana lege improbantur. Id præ-
 primis

(a) Addi posset, pecuniam non pro sepultura, vel
 terra exigi, sed pro *onere* tum *positivo* quo to-
 tius alicujus familiæ cadavera in *certo* humari
 aut recondi loco debent; tum *privativo*, quo
 corpora quæcumque alia ab isto exclusa loco ma-
 nent ita, ut, qui prius communis erat, facta
 conventionem privatus esse incipiat, quod onus
 pretio æstimabile multi censent.